



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm
Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei
mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda,
tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones
humanas iuxta ...

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1658

VIII. Quomodo Angeli inter se loquantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38954

propter sancti Doctoris autoritatem, & allatam rationem secunda videatur esse probabilius.

SECTIO VIII.

Quomodo Angeli inter se loquantur.

Certum est primò, angelos inter se loqui, & sibi in-
cicem cogitationes & conceptus suos manifestare.
Hoc manifestè constat ex scripturis. If. 6. Seraphim
elamabant alter ad alterum, &c. Apoc. 7. Clamauit (unus An-
gelus) voce magnâ quatuor Angelis.

Certum est secundò, posse quidem angelos loqui siue
nobiscum, siue inter se vocibus corporeis, quæ sint simi-
les nostris, quomodo eos sape cùm hominibus locutos
esse scripturæ testantur; sed alio quoque modo posse i-
plos inter se colloqui nempe spiritali & sine vlo admini-
culo corporeæ vocis, constat ex his Apost. verbis 1. Cor.
13. Si linguis hominum loquar, & angelorum, &c. quibus cùm
Angelorū lingua ab humanis distinguantur, significatur
Angelos aliquo inter se modo colloqui posse, quo nō pos-
sunt homines, qui proinde alius non est quam spiritalis:
quem Apost. locum eo sensu exponens Theoph. Angelis,
inquit, lingua est intellectua, vis nimirum illa, qua sibi mutuo
diuinorum rerum intellectum ac diuinas cogitationes imperti-
unt: & S. Damasc. Lib. 2. de fide cap. 3. de Ang. loquens,
Non lingua, inquit, neque auribus opus habent, verum citra
sermonis administriculum cogitationes suæ atque consilia inter se
communicant.

Cùm igitur hæc certa sint; questionis propositæ diffi-
cultas consistit præsertim in explicando modo quo ange-
li inter se colloquuntur. De qua quidē re cùm in scriptu-
ris nihil reperiatur, ideo maximè inter se variant The-
ologorum sententiae, quas hic fusius explicare minime
necessarium duximus, cùm nihil ad fidem pertineant.

Vt tamen in re, quæ per se obscurissima est, & à sen-
tibus humanis remotissima, lucem aliquam afferamus;
breui-

breuiter h̄ic proponemus id, quod in hac questione probabilissimum nobis videtur, scilicet Angelum alteri Angelo loqui dirigendo & ordinando conceptum suum ad illum per operationem voluntatis, id est, volendo ut alter Angelus conceptum illum suum cognoscat, sive locutionem Angeli nihil aliud esse, quam conceptum illius liberè ordinatum & directum ad alterum; directionem vero illam voluntariam & liberam, esse veluti linguam seu conditionem, sine qua Angeli vnius cogitatio seu conceptus alteri innescere non potest: quia tamen illa directio licet necessaria, minimè tamen sufficiens aliquibus Doctoribus videtur; ad exprimendum illum locutionis angelicæ modum, quantum à nobis exprimi potest, addunt virtute illius directionis, vel novam speciem produci in intellectu Angelii ad quem conceptus alterius dirigitur, vel si species talis conceptus ab initio creationis ipsi indita est, illum tunc nouam modificationem & veluti lucem quamdam de novo recipere, ut per eam Angelus percipere possit id, quod eum ante latebat, & quod per alterum illi tunc manifestatur.

Porro ea, quæ de locutione Angelorum dicta sunt, debent similiter intelligi de eorum illuminatione, cum hac tamen differentia, quod locutio latius patet, quam illuminatio; omnis enim illuminatio est locutio, cum Angelus unus non aliter Angelum alterum illuminet nisi ei loquendo; at vero non omnis locutio est illuminatio, quia Angelus unus alterum illuminare dicitur, non quoties eum alloquitur, sed tunc solum cum aliquam veritatem sibi diuinitus reuelatam alteri de novo aperit & declarat, quod non sit nisi per Angelos superiores respectu inferiorum; ut fusè docet & explicat S. Dionytius

Lib. de cel. Hier. cap. 3. 4. & 8. & S. Thom.

I. p. quæst. 106.

SE